

... quia illud unum est de ...
... qui non dicitur ...
... sicut patet unum est de ...
... unum est de ...
... et non vult ...
... multa et vult ...
... cum in al. ...
... unum est de ...
... et quilibet ut patet ...
... illa. Et quo magis ...
... patet quod omne ...
... patet plus. Et nunquam ...
... patet plus. Et nunquam ...
... patet plus. Et nunquam ...

... Responsio super ...
... sunt contra nos. ...
... invenimus et sciamus ...
... fitiones et Responsiones ...
... Responsiones in ...
... Responsiones in ...
... Responsiones in ...
... Responsiones in ...
... Responsiones in ...

... ut autem patet ...
... ut autem patet ...
... ut autem patet ...
... ut autem patet ...
... ut autem patet ...
... ut autem patet ...
... ut autem patet ...
... ut autem patet ...
... ut autem patet ...
... ut autem patet ...

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Med. 10



ADMONITIO
IOHANNIS
PISCATO-
RIS

DE EXERCITATIONI-
BUS HEIZONIS
BUSCHERI.



HERBORNÆ.

—
c1o 1o XCIV.

CHRISTIANO LECTORI S.

Non puto me opera pretium facturum, si in singulis Hei-
zonis Buscheri sophismatis, quibus denuo me aggressus
est, dissolvendis; meâq; sententiâ ab illius elenchis vin-
dicandâ, elaborem: sed pretiosum tempus, quod huic nego-
tio tribuendum esset, longé meliùs me collocaturum existimo,
si ipsum in illustrandis (quantum Dominus dederit) sacris
litteris consumam. Quare statui plenam illam responsionem
omittere: te, Christiane lector, etiam atq; etiam orans, ut sâ
Buscheranam contra me disputationem cognovisti, meam
quoq; de rebus iisdem doctrinam, tum in Responsione meâ
ad illius Elenchos, tum in aliis meis libellis traditam, dili-
genter cognoscas, & ex collatione demum iudices. Quod sâ
absq; præiudicio feceris: spero te deprehensurum, omnia illa
crimina quibus me antagonista onerat, falsa & per calu-
miosam verborum meorum interpretationem conficta esse.
Interim tamen ut omnes videant quantum sit robur verita-
tis in mea de controversis questionibus doctrina: senten-
tiam meam de principalibus controversiæ capitibus ex ipsa
adversarii doctrina confirmabo. Deum oro ut iis quibus ve-
ritas & pietas cordi est, aperiat oculos: ut verum in hac
controversia cernant, amplectantur, & retineant:
nec ullis sophismatibus illud sibi extor-
queri patiantur.

ADMONITIO JOH.
PISCATORIS DE EXERCITATIONIBUS HEIZONIS
BUSCHERI.

DE PROLEGOMENIS.

MOrbum animi sui, libidinem videlicet maledicendi, statim in titulo libri sui prodit Buscherus: ubi nomen meum simpliciter ponere non contentus, adjicit epitheta maledica: quod *Scripturam depravem in responsione mea: & artium doctrinam usitatam, propter dogma Calvinianum corrumpam.* Ubi prudens lector notet sophisticam fraudem, qua adversarius maledictis suis animum lectoris sinistra de me suspicione imbuere & falso præjudicio occupare conatur.

In epistola dedicatoria numerat me inter nescio quos *Calviniani dogmatis* (ut ipse loquitur) *conductos assertores.* At ego mihi conscius sum: operam meam ad nihil aliud conductam esse (idq; per legitimam vocationem, & absq; ulla vel minima avaritiæ specie) quam ad docendum in illustri schola Herbornensi bonas literas, tum humanas tum divinas. Ad scribendum autem, & scripta mea qualiacunq; in lucem edenda.

da, á nemine conductus sum: sed rogatu & hortatu amicorum, virorum doctrina & pietate præstantium, istud quicquid est laboris suscepi & hætenus continuavi. Vanū igitur & petulans convitium est Buscheri, quo me avaritiæ insimulare conatur: quasi ex avaritia malam causam contra conscientiam defendendam susceperim. At ab isto crimine facilé me, quotquot me familiariter norunt, purgabunt: atq; adeó ipsa mea inopia satis me purgat. Verum non solum personam meam sinistra suspitione conatur gravare: sed ipsam quoque causam sive doctrinam quam defendo: dū eam appellitat *venenum, virus, laqueos, causam perditam*. Tum ad me reversus, gloriatur: *me vidisse quòd admonitionibus suis prostratus, tueri non possem tropū in verbis cenæ: ac proinde deseruisse usitatas artium regulas, & novum texuisse funiculum ex junco putrido, cui manum applicans erigere me coner: at citiús illum abruptum iri, quàm caput paululum extulerit. Fingere enim me talem tropi rationem, qualis nunquã in mundo fuerit visa vel audita, arti ipsi prorsus contrariam. Adjungere etiam plura & horrenda portenta: negare, Dei omnipotentiam plus posse quàm cursus nature permittit: mysterium Trinitatis & dua-*

& duarum naturarum in Christo personaliter unitarum omnino tollere: negare vim & efficaciam Baptismi: & quando libet, Scripturam mea tropologia depravare, atq; omnem fidem Christianã evertere: nec non veritatem titubante & tremente conscientia oppugnare, sophisticè artes depravare, & sacram scripturam violenter detorquere, falsoq; interpretari. Hæc est maledica & acerba Buscheri tum gloriatio, tum criminatio: quam ego ex mendaciis totam compositã esse dico: et æquo lectori iudicium ex ipsis scriptis meis permitto.

Succedit epistola Hofmanni, ejusdem ingenii & genii: id est maledictis & gloriationibus constans: ad quæ paucis respondebo. Ait, se inter legendum responsionem meam sæpe ingemuisse: quum videret, Buschero cum tali ingenio (me intelligit) rem esse, quod præjudiciis dementatum, sua Logica logicè uti, & Theologiæ Christianæ mysteria supra Orphei & Homeri sacra admirari nesciat: constrictũ etiam & prostratum, sese liberum & superius Thrasonicè jactet: & præterea victori manus pedesq; vincienti ipsumq; animum coangustanti, & tantum-non os comprimenti criminose maledicat. Hanc Hofmanni criminatiõnem priori Buscherianæ similem, totã sci-

licet mendacem, esse dico: & á lectore peto
 ut hisce de rebus ex ipsa mea Responsione
 iudicium faciat. Præterea tribuit mihi ne-
 scio quam *insolentiam*: de qua similiter ju-
 diciam lectori permitto. Postea promittit
 Buschero palmam in hoc certamine, quod
 quid ni faceret suo promacho? Ait, *perire*
nobis medullam sacrarum tabularum, si iudiciũ
de sermone accommodato spiritualibus modũ sin-
gularem mysticũ præterit. Nempe mysticé, id
 est obscure, suo more hinc loquitur Hofmā-
 nus. Ait, *mystica mysticé dici & intelligi oport-*
tere. Quis negat? At num hinc efficitur, mo-
 dum ipsum loquendi quo mysteria divina
 traduntur, toto genere á modo loquēdi quẽ
 Deus naturæ hominis impressit differre?
 Imó ipsum *τὸ μυστικόν* nomen á sacris huma-
 nitus excogitatis ad sacra divina sive á Deo
 tradita translatum est, propter similitudi-
 nem quandam. Ait ampliús: *inusitatas præ-*
dicaciones mysteriis Spiritus dicatas esse. Dico
 ego contrá: mysteria Spiritus inusitata qui-
 dem & á naturali hominis captu remota es-
 se: veruntamen in sacris literis nobis tradi
 atq; exponi per prædicaciones usitatas; sive
 proprias, sive tropicas. Præterea objicit mi-
 hi commentarium D. Bezæ in locum ad
 Corinth. *πνευματικοῖς πνευματικὰ συγχεῖνοντες* :
 & hanc

& hanc objectionem διαβολῆς, id est calumni-
 â, imò manifesto mendacio, amplificat, di-
 cens: *me citius Bezæ quàm Apostolo crede-
 re assolere. item gloriatione, dicens: me gla-
 dio Bezæ, seu potius Apostolico, jugulatum iri,
 nisi resipiscens deprecet.*

Quid ergo commentatur Beza? Dicit
 in summa: Apostolicum docendi genus ef-
 se spirituale: id est, planè divinū & ab homi-
 num sensu remotum. Quis negat? At num
 propterea genus illud docendi non constat
 prædicationibus usitatis, tum regularibus
 (ut vocant) id est, propriis, tū tropicis? Con-
 trarium evincet analysis epistolarum Apo-
 stolicarum in phrases & enuntiationes. Sed
 orthodoxam quoq; antiquitatem pro inu-
 sitatis prædicationibus affert Hofmannus:
 qui cænam Domini appellent *μυσή, 10v, sa-
 cramentum, eucharistian &c. quæ nomina quū
 audimus, inquit, argumentum inusitata præ-
 dicationis sanctis titulis ornari & celebrari co-
 gnoscimus. Quasi verò orthodoxi patres pro-
 nuntiata illa Eucharistica (quantumvis ipsâ
 Eucharistiam *μυσή 10v* & sacramentum ap-
 pellarint) nō exposuerint per tropum met-
 onymiam: id est, modum loquendi usita-
 tum: exponentes scilicet nomen C O R P U S
 per S I G N U M seu F I G U R A M corporis!*

A iiij

Restat in prolegomenis epistola Buscheri ad lectorem; in qua similiter ut in epistola dedicatoria, de sua in me oppugnando alacritate & industria gloriatur: meq; & doctrinam quam defendo, calumniis & maledictis onerat: *Venenum Calvinianum & prestigias Calvinianas* illam appellitans. Ubi imprimis ridicula est, & viro docto atque adeo Rectore scholæ indigna, puerilis illa imitatio loci Ciceroniani in oratione pro M. Marcello: *Totam hanc tuam esse fateor,* &c. Non secus ac si puer aliquis in schola declamitaret.

DE SUMMIS CAPITIBUS DISPUTATIONIS BUSCHERI.

Summa capita quæ contra me disputat Buscherus, deprehendi hæc quatuordecim. 1. Quod tropus non habeat locum in verbis conjunctis seu phrasi. 2. Quod non sit diversa expositio tropi, generalis scilicet & specialis, prout tropus est in diversis enuntiati partibus, antecedente nimirum & consequente: seu (ut vulgo loquuntur) subjecto & prædicato. 3. Quod tropus non possit esse in copula. 4. Quod copula non sit pars axiomatis seu enuntiati. 5. Quod metonymia non sit in totis pronuntiatis Eucharisticis. 6. Quod non sit synecdoche

che membri in antecedente seu subiecto hujus enuntiati, *Deus est homo.* 7. Quod nō sit synecdoche integri in antecedente seu subiecto horum enuntiatorum, *Deus est homo: Deus est passus.* 8. Quod non sit synecdoche integri in his enuntiatis, *Homo loquitur, Salomon est sapiens.* 9. Quod nō sit synecdoche generis in voce DEUS, quum dicitur, *Deus est homo.* 10. Quod non sit metonymia in copula pronuntiatorum Eucharisticorum. 11. Quod non sit metonymia subiecti in consequentibus sive prædicatis pronuntiatorum Eucharisticorū. 12. Quod nec ipse, nec alii Lutherani, expositionibus suis pronuntiatorum Eucharisticorum, statuant in illis tropum. 13. Quod negem omnem præsentiam corporis Christi in cæna. 14. Quod propria & essentialia adjuncta abesse possint á subiectis.

Ad hæc singula disputationis adversariæ capita constitui paucis respondere: idque veritatem meæ sententiæ confirmando; quum id amantibus veritatis & contentionum istarum pertæsis possit sufficere: non autem refutando elenchos sophisticos Buscheri; quum id esset bonas horas malè collocare, quumq; eruditus lector (qualem hîc requirimus) fraudes illius ultró possit judi-

care, si meas rationes cum illius reprehensionibus conferre non gravetur. Interim tamen ubi me jure reprehensum intelligo, ingenué in gratiam veritatis confitebor ac retractabo.

DE PRIMO CAPITE.

Quo contendit Buscherus, tropum nunquam esse in verbis conjunctis seu phrasi, Exercit. 1. sect. 1. 2. & 5.

TRopum interdum esse in verbis conjunctis, ostendunt exempla á me allata Respons. meæ pag. 15. nempe hæc, Gen. 25. v. 27. *Jacob habitavit in tentoriis*: id est, exercuit pecuariam & rem domesticam. Gen. 41. v. 44. *Sine te non attollet quisquam manum suam aut pedem suum*: id est, nihil aggredietur sive tentabit. 1. Tim. 5. v. 22. *Manus citó ne cui imponito*: id est, Ne quem citó ac temere ordinato ad ministerium Evangelii. Gen. 14. v. 22. *Extuli manum meam ad Jehovah, si accepero, &c.* id est, Juravi me nihil accepturum: nam hic gestus erat signum adjunctum juranti.

Porro hanc ipsam esse sententiam Quintiliani (id quod Buscherus negat) manifesté liquet ex illius verbis quæ exstant Institutionum oratoriarum libro 3 cap. 6. ubi præ-

præceptionem de tropis ex professo institu-
ens, definitionem hanc tradit: *Tropus est*
verbi vel sermonis (nota bene: non dicit tan-
tùm **VERBI**: sed Verbi vel **SERMONIS**)
à propria significatione in alienam cum virtute
mutatio. Tum paucis interjectis, ait: *Tropos*
esse alios in verbis propriis, alios in translatis:
vertiq; formas non verborum modò, sed etiam
sensuum & compositionis. Audi: Sensuum &
compositionis: quod quid aliud est, quàm
verborum conjunctorum & phrascos? Et
addit: *Quare mihi videntur errasse, qui non*
alios crediderunt tropos, quàm in quibus ver-
bum pro verbo poneretur.

DE SECUNDO CAPITE.

Quo disputat Buscherus contra sententiam me-
am de duplici tropi expositione, generali
scil. & speciali. Exercit. 1. sect. 6. 7. & 8.
Item Exercit. 2. sect. 7.

TRadidi, diversam esse tropi exposi-
tionem, prout tropus est in diversis enun-
tiati partibus: puta antecedente vel conse-
quente, seu (ut vulgo loquuntur) subjecto
vel prædicato. Nam quum tropus in ante-
cedente est, tum demum adhibendam ef-
se expositionem specialem: quum verò tro-
pus est in consequente directè quidem e-

nuntiatio, tum adhiberi oportere expositionem generalem. Et hanc meam sententiam exemplis confirmavi Respons. meæ cap. 5. pag. 36. & deinceps. Nunc eandem confirmabo partim concessione Buscheri, partim exemplis ab ipso traditis. Concessio est, ubi ait: *in prædicatione directæ tropum NON SEMPER esse in consequente generaliter explicandum*: fol. B 7. lin. 1. Concedit igitur, interdū generalem expositionem tropi in consequente adhibendam esse: ac proinde sibi ipsi contradicit, affirmanti in capituli illius titulo, *Quod in directæ enuntiatione specialis TANTUM expositio sit adhibenda*. Cæterum exempla expositionum generalium à Buschero factarum, habentur Exercit. I. sect. 8. hoc ordine.

Primum exemplum, *Mors est pallida. Hic, inquit, consequens tropicum est: ex effecto enim intelligitur causa*. At, inquam ego, expositio hæc est generalis, & quidem constans termino Logico, nempe, *Mors est pallida: id est, Est palloris causa efficiens*. Etenim non sola mors palloris efficiens causa est: sed etiam pavor, item morbi; ut icterus, febris. unde illud poëtæ, *Pallentesq; habitant morbi*.

Secundum exemplum, *Platonis oratio est*

est aurea: hoc est, prestans, excellens, splendida, sicut aurum. Hæc expositio est generalis: quia orationis splendor non est proprius orationis Platonianæ, sed communis illi cū oratione Demosthenis & aliorum.

Tertium exemplum, *Hæc oratio est prima illius concio.* Hic concio, inquit, ponitur pro sermone habito ad concionē. Ista quoq; expositio generalis est. Etenim oratio habita ad concionem, ad orationem certam & singularem & (ut Logici loquuntur) individuum, quæ in antecedente pronūtiati significatur per pronomen demonstrativum, se habet ut genus ad speciem. At si dicas, *Prima illius concio typis expressa est:* hinc metonymia in antecedente requirit expositionem specialem: nempe ut dicatur, intelligi illam ipsam orationem quam primam ille habuit ad concionem.

Quartum exemplum, *Dominus est spes mea, ait David: hoc est, liberator & auxiliator meus, in quo (tanquam subiecto) omnis mea spes & fiducia fixa hæret.* Hæc item expositio generalis est, quia etsi David in solo Domino spem suam reponebat: tamen natura ferebat ut poneret eam in aliis quoq; rebus: id quod faciunt qui confidunt in principibus: de quibus apud Jeremiam. At si dicat

David, *Spes mea liberavit me*: & intelligat, se liberatum esse per Dominū: hīc in antecedente op^o est expositione speciali: *Spes mea*, hoc est, Dominus seu Jehova in quo spero.

Quintum exemplū, *Morbus diuturnus est mors certissima: h. e. tandem certissimē affert mortē*. Hæc expositio est prorsus generalis, & termino Logico constans. Quid enim aliud hīc significat, *Affert mortem*, quā efficit mortem: seu, est causa efficiens mortis? Hīc nulla indicatur res specialis: sed res generalis prædicatur de antecedente speciali. Etenim non solus morbus diuturnus affert mortem: sed sunt plures causæ efficientes mortis: ut morbus acutus, venenum, occisio. At quum dicunt filii prophetarum ad Elisā, O vir Dei, *Mors est in olla*: hīc opus est expositione speciali, qua dicatur, nomine *mortis* intelligi cibum mortiferū ac venenatū: quæ nimirum una est ex causis efficientibus mortis. At si dicas, *Cibus venenatus est mors*: id est efficit mortem: expositio est generalis, qua causa efficiens mortis generaliter indicatur.

Sextū exemplū, *Hæc puella est ipsa castitas: h. e. casta*. Hæc quoq; expositio generalis est: quū castitas sit generale & cōmune adjunctū plurium puellarū, non autē propriū & speciale illius puellæ de qua habetur sermo.

Septimum exemplū, *Christus est maledictio: h. e. maledictus pro nobis*. Expositio est generalis. nam etsi id proprium fuit Christo, quod factus est maledictio PRO NOBIS: tamen maledictū esse (quod solū verbum ad expositionē tropi hīc pertinet) cōmune fuit Christo cū illis omnib⁹ quib⁹ dicet ipse in die iudicii, *Ite maledicti in ignē æternū.*

Octavum exemplū Ps. 5. *Guttur eorū est sepulchrum: hoc est, latissimē apertū ad maledicendum, tanq̄ sepulchrum*. Expositio est generalis: quia apertio gutturis ad maledicendū, non fuit propria gutturis illorum de quibus conqueritur David, sed illis communis cum aliis maledicis hominibus.

Nonum exemplū, Ps. 18. *Dominus est rupes & arx mea, h. e. defensor & protector potens, sub cuius presidio tutus sum tanq̄ in arce & rupe*. Expositio est generalis: quia p̄tectio, etsi quod ad fidem Davidis attinet, propria erat Domini seu Jehovæ: quippe cuius solius p̄tectione David confidebat: tamē suā naturā cōmunis erat Jehovæ cum hominibus: poterat enim David confidere p̄tectione etiam hominum: id quod nimis multi faciunt. Sed si dicat David, *Rupes mea servavit me*: hīc in antecedente metonymia requirit expositionem specialem: nempe, Jehova servavit me, tanquam rupes me protegens.

Atq; hæ sunt expositiones tum metaphorarū, tum metonymiarum, generales omnes, ex ipsius Buscheri doctrina. Talis autem etiam est expositio Orthodoxorum, quā adhibent in prædicatis enuntiatorum Eucharisticorum: nempe, *Panis Eucharisticus est corpus Christi: hoc est, Est signum corporis Christi. Vinum Eucharisticum est sanguis Christi: hoc est, Est signum sanguinis Christi.* ubi consequens generale & commune prædicatur de antecedente speciali: quippe quum non solus ille panis Eucharisticus signum sit corporis Christi; aut vinum, sanguinis: sed ejusdem corporis signum olim fuit agnus paschalis; itemq; sanguinis, sanguis agni paschalis aliarumq; pecudum in sacrificiis expiatoriis oblatarum: hodie verò ejusdem signum est aqua Baptismi. Quum autem dicitur *corpus Domini manibus prehendi, & sanguis Domini ori ad-moveri*: quo modo (teste Theodoreto hist. Eccl. lib. 5. cap. 17.) ad Imperatorem Theodosium loquebatur episcopus Mediolanensis Ambrosius: quum illum propter cædem Thessalonicensium à cæna Domini repelleret: tum metonymia quæ est in antecedente seu subjecto, requirit expositionem specialem, generali illâ non contenta.

Etsi

Et si enim veré exponitur: Corpus Christi, hoc est, signum corporis Christi, manibus prehenditur: hoc tamen ad plenam rei intelligentiam nondum est satis: sed in specie addendum est, quodnam sit illud signum, videlicet panis Eucharisticus. Sic, etiam si vera expositio est: Sanguis Domini, hoc est, signum sanguinis Domini, ori admovetur in sacra cæna: non tamē est expositio plena, nisi specialiter declaretur, quodnam illud signum sit, videlicet poculum seu vinum Eucharisticū. Quæ quum ita sint: apparet, Buscherum temere ac frustra contra observationem meam de duplici tropi expositione disputasse.

DE TERTIO CAPITE.

Quo disputat Buscherus, tropum non posse esse in copula, Exercit. 1. sect. 9. & Exercit. 2. sect. 5.

Quod tropus locum habeat in copula, hoc est verbo substantivo copulāte subiectum & prædicatum propositionis categoricæ, seu (ut Ramus loquitur) vinciente partem antecedentem & partem consequentem axiomatis simplicis: probavi exemplo ironiæ: idque confirmavi, & ad-

huc confirmo, ex ironiæ definitione, ad hunc modum.

Quacunque voce ex contrario intelligitur contrarium, in ea voce est ironia.

At voce EST in quibusdam pronuntiatis simplicibus, intelligitur contrarium ex contrario.

Ergo in voce EST in quibusdam pronuntiatis simplicibus, est ironia.

Propositionis veritas liquet ex definitione ironiæ. Assumptio probatur exemplis: ut I. Corinth. 4. v. 8. *Jam saturati estis: jam ditati estis: absq; nobis regnum adepti estis.* Hic tria sunt enuntiata ironica: quorum hic est sensus: *Nondum estis saturati: nondum estis ditati: nondum regnum adepti estis.* ubi manifestum est, copulam affirmativam pro negativa positam esse.

DE QUARTO CAPITE.

Quo disputat Buscherus, copulam non esse partem axiomatis. Exercit. I. sect. 10. & 11.

CONTRÁ, copulam esse partem axiomatis, sic probavi, & adhuc probo.

Forma axiomatis, est pars axiomatis.

Copula, est forma axiomatis.

Ergo copula est pars axiomatis.

Propositionis veritas pēdet á sentētia generali,

rali, qua statuitur á Philosophis: quód com-
positi cujusque essentia constet é materia &
forma. Assumptionem probo ex definitione
axiomatis, tradita á Ramo: quód scil. sit dis-
positio argumenti cum argumento, qua
ESSE aliquid aut NON ESSE judicatur. ubi
planum est, formam axiomatis sive enunti-
ati constitui in copula seu vinculo, tum af-
firmante, tum negante.

DE QUINTO CAPITE.

*Quo disputat Buscherus, Metonymiam non esse
in totis pronuntiatis Eucharisticis. Exerc.
2. sect. 2. & 3. item Exerc. 3. sect. 1.*

Hic non dissentio á Buschero: sed ju-
sté conqueror de injuria falsi testimo-
nii: quód scilicet hanc sententiam mihi at-
tribuit, quód ipse quoque metonymiam in
totis illis pronuntiatis constituam: quum
tamen ego expressé tractaverim hanc quæ-
stionem, *In qua voce illorum pronuntiatorum
tropus metonymiae insit*: ac in quæstionibus
quidem Rhetoricis, vocem illam esse tra-
diderim ipsam copulam, nempe verbum
EST: in responsione veró ad Hofmannum
sententiam illam retractans, ostenderim se-
dem metonymiæ esse in pronuntiatorum
illorum prædicatis.

DE SEXTO CAPITE.

*Ubi disputat Buscherus, non esse synecdochen
membra in antecedente hujus enuntiati,
Deus est homo. Exerc. 2. sect. 8.*

Responſionis meæ pag. 153. affirmavi:
quum dicitur, *Deus est passus*, esse synec-
dochen mēbri: quatenus Christus denomi-
natur Deus ab altera personæ suæ parte, vi-
delicet deitate. Hic rectē monet Buscherus,
*falsam à me redditam esse synecdoches rationē
ex nominis notatione: quippe quod nomē totius,
quantūvis à parte sit impositū, non tamen par-
tem significat, sed ipsum totum. Sicut homo di-
ctus est ab humo: quia ex humo corpus (altera
hominis pars) est formatū. At ipsa vox HOMO
non partem hominis propriē significat, sed to-
tam personam corpore & anima constantem.*
Hanc reprehensionem ut veram facilis ad-
mitto: ac proinde sententiam de synecdo-
che membri in propositis exemplis abji-
cio. Quin illud quoque non rectē à me di-
ctum, ultro moneo: quod eadem sit ratio
enuntiati, *Deus est homo*, quæ est illius, *Deus
est passus*. Nam quum dicitur, *Deus est pas-
sus*, verē exponitur sic: Humana natura Dei,
hoc est Filii Dei, est passa: ubi est synecdo-
che integri. At quum dicitur, *Deus est homo*:
synecdoche integri locum non habet: quū
verē

veré dici non possit, humanam naturā Dei,
hoc est Filii Dei, hominem esse.

DE CAPITE SEPTIMO.

*Ubi disputat Buscherus, non esse synecdochen
integri in antecedente illius enuntiati, De-
us est homo: Exerc. 2. sect. 9. & 13.*

ME non ampliús synecdochen integri in
proposito exemplo statuere, ex modo-
dictis constat. Interim tamen recté ostendi:
sententiam meam qua statuebam in illa
voce DEUS, synecdochas contrarias, inte-
gri scilicet & membri: non bene esse refu-
tatam argumento illo Buscheri, *quód duo
contrarii tropi in una & eadem voce non pos-
sint constitui.* Nam posse ostendi exemplo
illo, Psal. 16. *Non derelinques animam meam
in sepulchro.* Animam meam, id est, me. Et
Me: id est, corpus meum. Quæ expositio
nō ideo falsa est, quia diversam tradiderunt
ii quos Buscherus laudat: nomine Schéol
non sepulchrum, sed infernum: itemque
nomine Animæ non corpus Christi exa-
nime, sed ipsam animam á corpore sepa-
ratam intelligentes. Sed vera est expositio á
me allata, quia nititur autoritate Apосто-
lorum, Petri & Pauli: illius quidem Act. 13.
2. v. 24. & sequentibus: hujus veró Act. 13.

v. 34. & sequentibus: ut patebit loca illa inspicienti & consideranti. Quoniam autem istud exemplū Buscherus non admittit: dabo ei aliud: quod eludere non poterit: videlicet Marc. 3. v. 4. ubi Christus ait: *Licet ne sabbatis benefacere, an malefacere? ANIMAM servare, an trucidare?* ψυχὴν σῶσαι ἢ ἐπιπολεῖναι. Trucidare *animam*, hīc dictum est pro, Trucidare *hominem*: per synecdochen membri: & rursus, Trucidare *hominem*: dicitur per synecdochen integri, pro eo quod est, Trucidare *corpus hominis*: sicut Christus loquitur Matth. 10. v. 28. ubi ait: Ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus.

DE CAPITE OCTAVO.

Quo disputat Buscherus, non esse synecdochen integri in his enuntiatis, Homo loquitur, Salomon est sapiens. Exerc. 2. sect. 10. 11. & 12.

IN his enuntiatis esse synecdochen integri, ostendi & adhuc ostendo hac ratione. Quum dicitur, *Homo loquitur*, intelligitur os hominis loqui. unde frequens illa phrasis in scriptura, Os Jehovæ loquutum est. Os autem est hominis membrū. Ergo intelligitur hīc ex integro membrū: quæ certé est synecdoche. Neque huic synecdo-

ecdochæ obstat, quód anima hominis
 justâ ætate præditi sermonem antequam
 proferatur, intra se concipit ac fingit: quum
 loquendi verbo non interior ille sermo, sed
 exterior & προφορικός significetur. Neq; et-
 iam obstat, quód os non nisi vi animæ per
 naturam loqui potest: intelligitur enim os
 in justa hominis ætate loqui, quatenus est
 os, videlicet pars corporis animati in ho-
 mine adulto. Ita quum dicitur, *Salomon est
 sapiens*: intelligitur, Anima Salomonis est
 sapiens. at anima Salomonis est illius tan-
 quam integri pars. Ergo hîc quoque synec-
 doche integri est. Neq; huic synecdochæ
 obstat, quód anima Salomonis sapientiam
 adminiculo sensuum corporis acquisivit.
 Etenim sapientia ipsa in anima propriè hæ-
 ret, non autem simul in corpore: quippe
 quæ in anima manet integra etiã tum quũ
 illa fuerit á corpore separata.

DE CAPITE NONO.

*Ubi contendit Buscherus, non esse synecdochen
 generis in vocabulo DEUS, quum dicitur,
 Deus est homo: ac proinde non esse prædi-
 cationem regularem, sed esse prædicationẽ
 inusitatam. Exerc. 2. sect. 14. 15. 16. 17. &
 18.*

Contrarium sic ostendi, & etiam nunc ostendo.

In quocunque pronuntiato genus prædicatur de specie, in eo prædicatio regularis & usitata est.

Atqui in isto pronuntiato de Christo, **DEUS EST HOMO**, prædicatur genus de specie.

Ergo in isto pronuntiato prædicatio regularis & usitata est.

Propositio extra controversiam est. Assumptionem probo.

Quum de homine singulari seu individuo prædicatur homo, prædicatur genus de specie: nempe genus infimum de specie individua seu specialissima: quod vulgo dicunt, prædicari speciem de individuo.

At quum dicitur, **DEUS EST HOMO**, de homine singulari seu individuo (nempe de Filio Dei incarnato) prædicatur homo.

Ergo quum dicitur, **DEUS EST HOMO**, prædicatur genus de specie.

Hujus syllogismi assumptio patet ex expositione nominis **DEUS**: per quod in illo pronuntiato non intelligitur Deus in genere: sic enim Pater quoque & Spiritus sanctus esset

set

set homo: sed in specie intelligitur Filius Dei, & quidem incarnatus: & per consequens homo ille individuus, qui est Filius Dei incarnatus. Atq; hoc ipsum ipse tradit Buscherus, his verbis: *Ecclesiam intelligere (nempe in isto pronuntiato) hac voce Deus secundam divinitatis personam, manifestum & extra controversiam est.* De ratione solvendi elench. pag. 124. & in Exercit. pag. H.

Et si autem modus prædicandi hinc regularis & usitatus est: tamen res ipsa est planè singularis & inusitata: nempe quòd homo ille non solum homo, sed etiam Deus est.

Cæterum modus ille loquendi: quum de Deo loquentes, utimur vocabulo generis & speciei: neminem pium meritò offendet, si perpendet ea quæ de hac re differui in Responsione mea ad elenchos Buscheri, capite 16. pag 143. & sequentibus. Neq; enim per hunc loquendi modum, ipsum mysterium S. Trinitatis (ut Buscherus calūniatur) evertitur: si interim ingens illud discrimen inter tres illas personas increatas & alias creatas semper teneatur: quòd tres illæ personæ nō sint à se invicem separatae, sicut personæ creatæ: sed tantum distinctæ: quum interim unaquæq; earum tota sit in reliquis duabus totis: ut percipitur ex

dicto Christi, Pater in me est, & ego in patre, Johan. 14. v. 10.

DE CAPITE DECIMO.

Ubi disputat Buscherus, non esse metonymiam in copula pronuntiatorum Eucharisticorū. Exerc. 3. sect. 2. & 3.

